V. CRIVELLARI

QUAE PRAECIPUE HAUSIT VERGILIUS EX NAEVIO ET ENNIO

PATAVII
TYPIS SEMINARII
1889



Invenire primum fuit estque praecipuum; ea autem, quae bene inventa sunt, utile sequi. Hoc Quintiliani praeceptum secuti sunt non tantum qui hebetato ingenio nulli unquam operi manum admoverunt, sed et ii, qui, vivida imaginandi vi et alacri ingenii acie donati, humanarum litterarum peritissimi exstitere. Natura enim ducimur et quasi impellimur, ut quae speciem aliquam boni prae se ferant, imitemur. Quod tum in artibus, quae ingenuae vocantur, tum maxime in litteris scientiisque contingit. Quoniam vero pulcrum honestumque quod sequimur, nullis coercetur finibus, sed ubique et floret et viget, pulcrum honestumque profitentes ubique terrarum et gentium imitatores nanciscuntur. Eorum tamen vestigia persequuntur praecipue eiusdem regionis incolae; cum enim ipsis utantur moribus et legibus, facilius eorum, qui invenerunt, mentem complectuntur, quaeque illorum animi, cum grande opus moliti sint, agitarent, vehementius possunt sentire. Verum brevi excellentiae scriptorum fama percrebrescente arctosque regionis suae fines praetergrediente, et alii ad imitationem alliciuntur et tali modo, qui primus invenit, magno discipulorum agmine comitatus incedit.

Imitatio multiplex est. Aut enim qui imitatur, eius vestigiis insistit, quem sibi exemplar proponit; aut certas partes eligit et vel eas nova veste induit vel ipsa verba verbis red-

dit fidus interpres; aut denique utrumque simul coniungit. Atque hoc latissime patet. Sed quoniam longior, quam par est, foret oratio, si omne litterarum scientiarumque genus persequi velim, nonnulla de epicis poetis breviter attingam, quippe quae ad meam rem faciant.

Epicae poesi auspicatissimum dedit exordium Homerus a veteribus novisque scriptoribus, eiusdem poesis pater iure appellatus. Omni vero aetate divinus poeta tanto honore dignus est habitus, ut ab eo, qui epico carmini manus ponere voluerint, quasi ab inexhausto fonte purissimas aquas hauserint, ipsumque quasi exemplar imitatione dignissimum ob oculos habuerint. Stasymus (τὰ Κύπρια), qui ortum raptumque Helenae enarrat; Arctinus Milesius (Αἰθιοπίς), qui reliquos eventus post captam Troiam ad Achillis mortem persequitur; Lesches (Ἰλιὰς μικρά), qui res gestas Neoptolemi canit, et ex recentioribus Apollonius Rhodius, Homeri imitatores fuerunt. Nec solum Graeci sed vel potissimum Latini gloriosam viam a tanto viro monstratam ingressi sunt.

Poesis epicae Romani studiosissimi fuerunt, quippe qui praeteritas res meminisse delectarentur, carminibus autem illustria facinora memoriae tradi et facilius conservari, compertum haberent. Hinc iam inde ab initio quamdam epici carminis speciem avorum cantica, inscriptiones prae se ferebant. Sed primum non nisi annales confecti sunt, postea argumenta vere epica agi coepta, epos tamen heroicum, quod rem italicam agat, apud Romanos frustra requiras. Cuius rei causam in eo sitam esse duco, quod Romani diis et heroibus non eam naturam tribuerent, quae heroico poemati opportuna atque idonea fuisset. Cum igitur extremis reipublicae temporibus etiam huic poesis generi opera data est, argumenta, quae rem romanam minime attingerent sed cum antiqua heroica aetate maxime coniuncta essent, necessario deprompta sunt. Hinc Catullus Epithalamium Pelei et Tethyos,

Elvius Cinna Smyrnam, Licinius Calvus, Io, Terentius Varo Argonauticas, Pedo Theseidem, Statius Thebaidem et Achilleidem, suis versibus cecinere. Vergilius ipse, qui ex omnibus poetis latinis atque graecis proximus est Homero, multa, si non omnia, in praeclarissimo suo epico poemate a Graecis est mutuatus et Homerum ducem fidentissime secutus.

Primis enim sex Aeneidos libris Odisseam imitatus describit Aeneae errores, in ceteris, Iliadi adhaerens, pugnas ab Aenea pugnatas, ut regno potiretur.

Verum licet Latini in re adeo difficili Graecos quasi cursores habuerint, eam perfectionem minime assecuti sunt, ad quam Graeci pervenere. Cuius rei causam tum in diverso utriusque populi ingenio, tum etiam in regionum varietate ab iisdem excultarum facile invenies. Nullus terrarum populus regionem adeo amoenam atque variam, ut graecus, sortitus est. Hic praerupti saxosique montes aeternum nive oppleti, hic fluvii et rivi pulcherrimas planities quaquaversus irrigantes atque foecundantes, hic coelum semper serenum, dulcis aer, hic, quod maximi momenti est, grandes animae grandioresque mentes: quae omnia in causa fuerunt, cur beatissimus hic populus poesi quam maxime delectatus sit eamque totis viribus excoluerit: Romanis contra reipublicae fines proferre in primis cordi fuit: Romae, partium studiis saepius divina et humana permixta, quae quanto litterarum progressui impedimento sint, neminem latet.

Verum eo redeat oratio, unde digressa est. Vergilius in Aeneide non solum Homerum sed et latinos scriptores, praesertim vero Naevium et Ennium, imitatus est: quaenam autem ex his poetis hauserit, nunc est videndum.

Ut in re satis difficili clare procedat oratio, necessarium puto in primis animadvertere, non eodem modo Vergilium imitatum esse Naevium atque Ennium; ex illo enim ea tantum, quae rem suam propius attingerent, ex hoc vel dictio-

nes, integros interdum versus, descriptiones et alia, quae suo poemati forent ornamento, hausit; quod ex utriusque operis disquisitione clarissime patebit. Atque primum de Naevii poemate.

Candide fateor mihi in animo non esse de fragmentis, quae adhuc supersunt, disputare, neque de opportuniore sede ipsis tribuenda, cum in id incubuerint praestantissimus vir Joannes Vahlenus, nuper vero Maximilianus Josephus Berchem rhenanus in dissertatione philologica «De Cn. Naevii vita et scriptis»: id unum mihi faciendum propono, ex fragmentis iam in ordinem redactis in librosque distributis ea excerpere atque considerare, in quibus Vergilius Naevium secutus est. Naevius bellum punicum, quo, ex auctoritate Ciceronis [1]), si habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute iucundius, scripsit, idque uno volumine et continenti scriptura expositum, teste Suetonio [2]), in septem libros divisit C. Octavianus Lampadio.

Poeta principio primi libri Musas invocat, dein [3]) et Aeneam e patria noctu fugientem cum familia describit, quem multi alii strenui viri aurum secum portantes sequuntur:

sectam secuntur multi mortales
. . . . . . Multei aliei e Troia
Strenui viri . . . . . .
Ubi foras cum auro illic exibant [4]).

Deinde Aeneas cum patre Anchise naves conscendit novas regiones quaesiturus. Quem Aeneae in mare ingressum, quamvis nullum fragmentorum, quae supersunt, aperte testetur, eius tamen mentionem Naevium fecisse apertissime declarat

---

1) Cato. 44. — 2) E gramm. 2. — 3) Vahlen. 1. 1. — 4) Vahl. 1. 6.

navis procellis agitata et grave periculum, quod Troiani subeunt; in quo discrimine Anchises Neptunum precatur, ut sibi et sociis parcat, et Venus, eisdem tempestate laborantibus, cum Iove queritur, eum appellat atque hortatur, ut progeniem suam in tuto collocare velit. Quibus Veneris precibus pater deorum benignas praebet aures, seque opem Troianis laturum promittit. Aeneas autem fidens animo et spe futurorum elatus, sociis, ut aequo animo praesentia mala ferant, auctor est. Atque illi, viribus animisque firmatis, iter suum pergunt et ad insulam perveniunt prope Italiam sitam, quae a ducis cognata Prochyta nomen accipit, quam insulam fortasse incolebant:

Silvicolae homines bellique inertes [1]:

inde Carthaginem classem appellunt, Iunonis templum ingrediuntur, in cuius parietibus ex Klusmani sententia

Inerant signa expressa quo modo Titani
Bicorpores gigantes magnique Atlantes
Runcus ac Purpureus filii terras [2].

Haec, quae exposui, libro primo, ex probatissimorum scriptorum opinione, continentur. Totum hunc ordinem secutum esse Vergilium, easdemque fere res in primo Aeneidos enarrasse, omnibus compertum est. Revera, postquam ipse Musas invocavit:

Musa, mihi causas memora [3].

Iunonem inducit *aeternum servantem sub pectore vulnus* [4], in Aeoliam proficiscentem, patriam nimborum, ibique Aeolum hortantem [5] et praemia maxima pollicentem [6], ut vim

---

1) Vahlen I. 17. — 2) Vahlen I. 18. — 3) Aen. l. I. v. 8. — 4) I. v. 36.
5) I. v. 51. 52. — 6) I. v. 71. 75.

incutiat ventis et puppes submersas ventis obruat [1]: deaeque voluntati obtemperatum esse legimus; Troianorum enim classis tempestate iactata atque dispersa, in eo erat, ut penitus submergeretur [2], ni Neptunus ira exardescens, quod prospiceret disiectas toto aequore Aeneae naves [3], Euro imperavisset, ut tumida aequora placaret [4], collectas fugaret nubes solemque reduceret [5]. Quibus Troianorum infortuniis Venus ipsa commota et apud Vergilium cum Iove queritur, quod eadem fortuna

. . . . . *viros tot casibus actos* [6])

persequatur, quod nullus detur laborum finis, quod italis oris Aeneas disiungatur; quam hic quoque Iuppiter consolatur spe futurorum, aeternamque gloriam Aeneae progeniei promittens:

Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulcra Troianus origine Caesar
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius [7]).

Hic locus totus sumptus est a Naevio, iuxta Macrobium [8]), ex primo libro belli punici. Illic enim aeque Venus « Troianis tempestate laborantibus, cum Iove queritur et secuntur verba Iovis filiam consolantis spe futurorum ». Neque minus Naevium imitatus est Vergilius cum adventum Aeneae in Siciliam enarrat. Nihil autem nostra refert poetas de insulae nomine dissentire, cum uterque certum indubitatumque teneat, Aeneam primo cursu Troia fugientem insulam petiisse. Quae dissensio iis, quae diximus de vergiliana imitatione,

1) Aen. l. I. 69, 70. — 2) l. v. 81, 123. — 3) l. 128. — 4) l. 142. — 5) l. 143. — 6) l. 240. — 7) l. 284, 288. — 8) Sat. 6, 2, 30.

minime officit: Vergilius enim multorum librorum lectione imbutus ad suum opus accessit et saepe personas et res mutavit. Cuius rei luculentissimum exhibet testimonium Servius, ubi ait in Naevii bello punico Anchisae et Aeneae mulieres noctu egressas esse, quum apud Vergilium nulla fiat mentio mulieris Anchisae: ex quo non solum sequitur, Vergilium eam silentio praeteriisse, sed etiam, cum illo loco Aeneidis omnes enumerentur, qui tum una fugerunt, ex Vergilii sententia, Anchisae mulierem omnino non fugisse cum ceteris [1])». Sed rem nostram prosequamur.

Naevius his versibus:

Inerant signa expressa quo modo Titani
Bicorpores Gigantes magnique Atlantes
Runcus et Purpureus filii terras [2])

ut iam ex Klusmani sententia innuimus, imagines describit, quas vidit Aeneas Carthagine in Iunonis templo, quod nec noster praetermittit. In primo enim Aeneidos narratur Aeneas templum ingressus vidisse in templi parietibus pictas

. . . . . Iliacas ex ordine pugnas
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem,
Atridas, Priamumque et saevum ambobus Achillem [3])

aliaque Troiae gesta.

Cur autem apud Vergilium Aeneas alias atque apud Naevium imagines in eodem Iunonis templo pictas viderit, facile reperire poterit, haec qui consideret. In poemate naeviano, ubi bellum punicum enarratur, ex quo populus romanus magnam belli gloriam, fortissima urbe strenuaque gente devictis, sibi peperisset, Dido fortissimae mulieris cor animumque gerat necesse est atque iam tum latinis exercitibus romanaeque potentiae innumeras difficultates paret; quem fortem ani-

1) Serv. ad Aen. 3. 10. — 2) Vahl. I. 18. — 3) Aen. I. 456-458.

mum invictumque ingenium vel in pictis imaginibus ostendere debet: in Aeneide contra Phoenissa regina mulieris vehementissimo in Aeneam amore captae partes agit, qua dii italicarum gentium amicissimi et Troianis infesti utuntur impedimento, quominus opus suum Aeneas perficiat. Eas igitur imagines in templo pictas videt vergilianus heros, quae suum cor commoveant, ad pietatem et ad lacrimas ducant, ex quibus ad amorem facilis via est. Qui autem poterat et citius et facilius in reginam amore exardescere quam in templo se suosque depictos cernendo, victorias et clades a se et a suis peractas, clarissimorum virorum mortem, Troiae denique excidium, qua nihil sibi dulcius, nihil iucundius unquam fuit, et ex qua extorris a Didone in suum regnum fuerat receptus?

In secundo libro res carthaginienses exorditur Naevius. Ex fragmentis, quae habemus, Aeneam ab insula Prochyta Carthaginem pervenisse, cum iam de Didone aliquid audivisset, coniectura assequimur. Quum enim sciamus Vergilii narrationem de Didone totam naevianam esse, veri simile est singulas eius narrationis partes imitatum esse nostrum poetam [1]. In Vergilii Aeneide ipsa Venus punica fata evolvit narratque res a Didone gestas [2]; affirmare igitur non dubito, apud Naevium quoque Aeneam ab aliquo deorum vel dearum et facile ab ipsa Venere, cui adeo Aeneae Troianorumque sortes cordi erant, edoctum fuisse, quae ad illam regionem pertinerent, ad quam venturus esset. Cui sententiae libentius etiam subscribo, quod quum eadem sequantur apud utrumque poetam, eadem quoque esse debebat naeviani et vergiliani Aeneae conditio, quum eisdem Dido modis cum utroque utatur: qui modi dulces adeo sunt, ut Aeneas, ubi ipsam vidit eiusque mitem animum sensit, quieto animo fuerit:

Iamque eius mentem fortuna fecerat quietem [3]).

1) Vahlen. Quaest. Enn. p. XXV. — 2) Aen. I. v. 335. 368. — 3) Vahl. 2. 1.

Dein invitatur a Didone et instruuntur epulae [1]. Aeneas iubet e navi sibi afferri vestem, qua Didonem donet, et Dido eum percontatur, quo modo Troia venerit.

Blande et docte percontat Aeneam quo pacto [2]
Troiam urbem liquerit.

Aeneas errores brevi enarrat et ultimae noctis labores exponit, qua in narratione cuncti Dardanidae simul inter se rumitant. Hac nocte Venus nebulam, qua plerumque hominum oculi offusi sunt, ab oculis Aeneae removit, ut deorum numina videret, quae Troiam overterent

Prima incedit Cereris Proserpina puer
Dein pallens sagittis inclutus arquitenens
Sanctus Delphis prognatus Pythius Apollo [3].

Praeter ea, quae exposita sunt, videntur Carthaginis initia atque opes et Didonis amor in Aeneam in hoc libro descripta fuisse; id enim et Vergilius facit, qui in iis, quae ad Didonem referuntur, Naevium, ducem ac magistrum secutus est; praeterea veri simile non est Naevium, cum in suum poema Didonis narrationem induceret, ea praetermisisse, quae formam et quasi naturalem Didonis notam exprimerent, quaeque apud Romanos maximi ponderis atque momenti futura fuissent. Utrum vero Vergilius Naevio adhaeserit, videamus.

In libro primo Aeneidos postquam adventum Troianorum Carthaginem narravit, maximum Ilioneum Didoni sciscitanti de itinere, de rege Aenea, de Italia, de consilio iterum Siciliam petendi dicentem facit [4]. Quibus verbis commota regina iubet Teucros metum solvere curasque secludere. Fatetur se iam multos annos urbem Troiam, Aeneadum genus et virtutes, viros et belli incendia novisse, quibus verbis animi Ae-

---

1) Vahl. 1, 13 — 2) Vahl. 1, 14 — 3) Vahl 2, 7. — 4) Aen. I. v. 520. 560.

neae Acatisque eriguntur [1]), nubes scinditur, qua eos Venus circumdederat, Aeneamque clara in luce refulgentem Dido obstupescens alloquitur, eumque percontatur:

Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quae vis immanibus applicat oris? [2])

ac deinde Aeneas a Didone ductus regia tecta ingreditur: interea mittuntur tauri et agni Aeneae sociis, qui adhuc ignari eorum, quae evenerant, in navibus erant. Convivium paratur in domo splendida luxu regali [3]), et hospes hospitem suam donis magnificis donat [4]). Post remotas mensas regina multa de Priamo, de Hectore, de omnibus Troianis, de Graecis, qui supra ceteros virtute fuerant illustres, rogitat; cui pius Aeneas, quomodo troianas opes et regnum lamentabile eruerint Danai, narrat [5]). Visionem quoque ab Aenea ultima excidii nocte habitam memorat noster, in qua alma parens ipsum docet, quinam deorum Troiam everterint, quinam Danais vires addiderint, eumque, ut fugam arripiat ac finem imponat labori, hortatur [6]).

Naevius Annae Didonis sororis mentionem facit, et cuius utraque filia fuerit, recordatur, neque Vergilius huius mulieris reginam vulnere gravissimo sauciam consolantis obliviscitur et eam cor dulcissimis verbis mulcentem inducit.

Quae hactenus dicta sunt, satis ostendunt Vergilium ea, quae ad Aeneam et Anchisem referuntur Troia fugientes et in mari errantes, quaeque ad Didonem, Annam et Sybillam Cimmeriam cum ipso troiano duce colloquentem, ex Naevio hausisse; restat modo ut videamus, utrum quaedam etiam ex tertio belli punici libro excerpserit, ut gradus inde fiat ad ea illustranda, in quibus inter se dissentire poetae videntur.

---

1) Aen. I, 579. — 2) I 615, 616. — 3) I 637-640. — 4) I 647-656. — 5) I 750-753. — 6) I 589, 620.

Ex Naevio, Aeneas, Carthagine digressus, iter pergens italicas oras advenit, ubi Anchises augurium accipit.

Postquam aves aspexit in templo Anchises
Sacra in mensa Penatium ordine ponuntur
Auratamque immolabant culimam pateram [1].

Vergilius quoque narrat, ubi primum Italia in conspectu Troianorum fuit, cum sua classis vel Misenum promontorium pervenisset, templumque in arce Minervae appareret, Anchisem vino craterem implevisse, deos vocasse et ab equis augurium sumpsisse [2], qua in re utriusque poetae narratio eo tantum differt, quod Vergilius equorum, Naevius avium omen oblatum esse, narret. Ceteros poematis libros, quippe qui res continerent ab argumento sibi tractando longe diversissimas, praetermisit noster.

In utroque poemate quaedam invenias, ex quibus posset quis inferre omnino esse improbanda, quae de Vergiliana imitatione disserui. Eis igitur vel tantisper animum advertam, ut certo certius colligam, vera esse, quae exposui.

Ioseph Berchem dicit apud Vergilium Anchisem fulmine esse adflatum et oculorum lumine privatum, Naevium contra Anchisem aves vidisse.

Hanc rem Berchem falsum habuisse puto, Anchisem quidem apud Vergilium fulmine adflatum:

. . . . ex quo me divom pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis et contigit igni [3],

ipsum autem caecum evasisse nullo loco invenio; immo non pauci occurrunt versus, ex quibus ipsum oculorum luce usum fuisse conicere est. Revera in secundo libro Aeneidos haec leguntur:

Ipse manu mortem inveniam [4]:

---

1) Vahl. 1. 2. — 2) Aen. III. 523-543. — 3) II. 648-649 — 4) II. 645.

ad mortem sibi manu consciscendam nonne Anchises lumine frui debebat? et alibi:

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis
Lambere flamma comas et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem
Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera laetus
Extulit [1])

patrem Anchisem a nullo edoctum de iis, quae circum caput Iuli fierent, Vergilius exhibet, eumque laetum et sustollentem ad sidera oculos; et alibi:

. . . *genitorque per umbram*
Prospiciens «nate, exclamat, fuge nate [2])»;

vidit igitur, immo et prospexit, quod sane lumine captus non fecisset. Neque ex libro tertio, in quo omen narratur, quod Anchises ex equis accepit, coniici potest ipsum caecitate laborantem esse; etenim ab omnibus cernitur Trinacria, cernuntur scopuli et saxa horrenda.

De numero navium et de loco ubi mortuus est Anchises, reapse dissentiunt Vergilius et Naevius, ad quam rem optime faciunt, quae supra cum Macrobio animadverti, eum saepe mutavisse et res et personas, aliam ac Naevium in bello punico secutum esse famam et multorum librorum lectione imbutum ad suum opus accessisse.

Haec, ex mea sententia, Vergilius ex Naevio praecipue hausit; nunc gradum facio ad ea inquirenda, in quibus Ennium poeta noster imitatus sit. Vergilius tamquam mellificans apis non solum ex libro primo Ennii Annalium, in quo de Aenea narratur, deque eius itineribus et de adventu Cartha-

---

1) Aen. II. 582, 687. — 2) II. 733, 734.

ginem atque in Italiam, quaedam excerpsit, sed etiam ex Tragoediis. Sed quoniam magis ad rem facit liber primus, opportunum puto, duce clarissimo Joanne Vahleno, exponere, quae hoc libro contineantur, ut dein eos locos enumerem atque perpendam eosque versus, quos noster vel imitatus vel omnino mutuatus est.

Is fuit atque est poetarum mos, iam statim ab initio sui carminis Musas invocare. Hunc morem primus tenuit Homerus, quem imitatus Ennius Musas sive Casmenas invocat, earumque ope sperat suum poema per totum terrarum orbem clarum evasurum.

Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum.
Musas quas Grai memorant nos Casmenarum
Latos per populos terrasque poemata nostra
Clara cluebunt [1]).

Post invocatas Musas somnium enarrat, in quo fingit sibi Homeri speciem ex Orco ante oculos adstitisse lacrimas effundentis deque animarum origine rerumque natura secum colloquentis:

. . . somno levi placidoque revinctus
. . . visus Homerus adesse poeta.
Hei mihi qualis erat
O pietas animi
Quae cara corpore caeruleo cortina receptat
Ova parire solet genus pinnis condecoratum
Non animam: et post inde venit divinitus pullis
Ipsa anima . . . . .
. . . . . terraque corpus
Quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum
. . . . . memini me fiere pavum [2])

quibus versibus seu fragmentis exordium continetur.

---

1) Vahl. 2, 3, 4. — 2) Vahl. 6-14.

His quae ad adventum Aeneae in Italiam Urbisque conditorem referuntur, iuvat praemittere quae in hanc rem antiqui nobis reliquerunt scripta, non quo in re tam incerta atque fabulis proxima aliquid novi adiiciam, sed quo maior inde rei pertractandae lux obveniat. Neminem latet veteres scriptores in duplicem abiisse sententiam circa Urbis conditorem et homines qui primi eam incoluerint. Sunt enim qui ipsos Latii habitatores, quos Aborigines vocant, Romam condidisse pro certo habeant, quum Evander regnaret eiusque initium vel a regis Latini sorore vel a Romo Itali Albaeque filio vel a filio Ulixis, vel denique a Roma Latinorum tyranna ab Tirennis expulsorum repetant. Alii vero cum ad Troianos eius principia referant, de numero et sexu eorum qui eam condiderint, dissentiunt inter se.

Verum antequam Stesicorus Aeneae adventum in Italiam commento finxit, nullum eius neque apud poetas, neque rerum scriptores exsistit testimonium: nemo unquam troianum principem iter suscipientem memorat, immo Homerus in Troianos, qui domi post urbis exitium remanere maluerint, dominatum esse dicit. Cur autem in Stesicoro tanta exstiterit cupiditas iter Aeneae effingendi atque enarrandi, facile coniectura assequi possumus. Ea certe mens fuit poetae maiorem reddere illius regionis atque insulae gloriam, in qua natus erat. Hinc ficta de mirabili inter ardentes flammas fuga, ex qua nova gens originem ducere debebat, orta est narratio. Ellanicus Stesicoro adhaerens finxit Ulixem, Aeneam et magnam mulierum turbam in Italiam pervenisse, easque longa via maximisque laboribus fessas, ne duces nova molirentur itinera, naves ussisse atque inflammasse. Quo casu Aeneas urbem condidit eique nomen unius ex iis mulieribus addidit. Cui Aristoteles minime consentit, qui multarum navium classem multasque mulieres Italiae littus appulisse narrat, cum iis mulieribus Achivos milites, post incensas naves, matrimonia

inisse et ex eis coniugiis novum populum, cui nomen latino exortum esse.

Sed haec, quae Aeneae adventum in Italiam atque Urbis originem attingunt, longe aliter a Timaeo Tauromitano sunt exposita. Ex eius sententia troianus heros e patria digressus cum in Italiam pervenisset, Lavinium prius condidit, ubi penates, quos secum ferebat, collocavit, dein urbem Romam, quo anno Dido Carthaginis fundamenta iecit. Unde haec Timaeus hauserit, clare non constat; plerique tamen putant, ipsum de templo, quod Lavinii esset diis patriis dicatum, audivisse, atque inde arbitratum esse in eo collocatos fuisse penates. Verum temporum progressu haec omnia longe aliter narrata sunt. Fuerunt enim qui dicerent inter Lavinium et Romam conditam, Albam longam, unde Roma fuerit, coloniam deductam. Qui cum Romanae civitatis origines ad troianum Aeneam referunt auctorem, tum civitatem latinam eam faciunt, vel coloniam Albae, a qua omnes latini oriundi, vel conditam a pastoribus, qui una convenissent. Huic de romanae gentis origine narrationi Ennii tempora plerique adscribunt. Certum est scriptores eius aetatis illam secutos esse. Ea siquidem inciderant tempora, quibus Roma, Carthagine devicta, in spem venerat suo imperio totum terrarum orbem subiciendi: nil mirum igitur si, tot triumphis relatis superbiens, eam sibi orinem vindicaret, quae non esset aliis omnino subiecta. Sed per eamdem aetatem Graecia capta in victorem ferum vim suam maximo opere exercebat. Cuius rei causas multiplices et varias invenias. Nobiliores enim viri latino sermone sed saepius graeco non tantum in usu vitae quotidiano sed etiam cum ad populum concionarentur, utebantur, quas conciones in vulgus edebant, quod T. Grachus Rohodi fecit. Qui graeci sermonis usus apud privatos homines vigens in rempublicam quoque translatus est. Quum enim Flamininum Graeci latino sermone laudavissent, suumque pro eius in se beneficiis gratum ani-

mum ostendissent stateris latino titulo «F. Quincti (us)» signatis, consul ipse diis atque deabus graecis eorum sermone dona dicavit. Iuvenes praeterea Romae graeca educatione instituebantur, atque in Homeri poematium studium praecipue incumbebant. Romanis vero Ennii aetate se a Troianis originem duxisse persuasissimum erat. «Iliensibus, quasi Romanae gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit: recitata vetere epistola graeca, et societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes praestitisset» (Suet. Claud. 25).

His praemissis, unde orta est, redeat oratio.

Narratio exorditur a rebus Aeneae. Anchises a Venere edoctus iubet patriam relinqui:

Doctusque Anchisa Venus quem pulcherrima dium
Fata docet fari, divinum ut pectus haberet: [1]

patrique exoranti instantique cedit Aeneas et mare ingreditur, perque varias tempestates magnosque labores Hesperiam advenit:

Est locus Hesperiam quam mortales perhibebant
Quam prisci casci populi tenuere latini [2].

Saturniam terram petiit, antiquissimis temporibus a Saturno excultam,

. . . . *late Saturnia Tellus*

qui iis temporibus, quibus Titani Iovi bellum pararent caelo, expulsus est

Cum saero obsidio magnus Titanas premebat
Iuppiter ut muro fretus magis quamde manus vi

et coelo vale dicens terram habitatum concessit. Aeneas ubi

1) Vahl. 17. — 2) Ib. 21, 22.

in Italiam pervenit cum rege Albano congreditur, cum quo victo societatem et foedus init:

Accipe daque fidem foedusque feri bene firmum.

Rebus tandem compositis, regnat Aeneas, diem obit supremum interque deos transfertur. Postquam finem fecit narrationi de Aenea, prosequitur ea attingens, quae ad Romulum et Remum, ad fratrum capturam, ad urbis initia, ad Remum a fratre occisum, ad coniugia a Romanis cum Sabinis mulieribus per vim inita, ad ludos institutos, ad bellum cum Sabinis gestum et denique ad Romuli mortem eiusque in coelum raptum referuntur; quae omnia in reliquis fragmentis, quibus liber primus continetur, reperiuntur.

Eadem, qua Ennius, et Vergilius ingreditur via. Initio statim Aeneidos Musas invocat, quas tamen suo poemati aeternam gloriam parituras minime sperat. Aeneae iter ingressuro, Hector, lux Dardaniae, fidissima spes Teucrorum, qui tot funera Graecis paraverat, quo vivo regna Priami steterant et, moriente, Troia collapsa est, in somniis apparet

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore [1] . . . . . .

Dein Ennio graecus poeta rerum naturam explicat.

Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem, lacrimas effundere salsas
Coepisse, et rerum naturam expandere dictis [2].

Ennius autem pythagoreus

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea [3].

1) Aen. II. 274. 275. — 2) Lucr. De rerum nat. I. 125, 127. — 3) Horat. Ep. II. 1. v. 56.

ab Epicuri placitis non abhorret, eique Vergilium accedere plerique putant [1].

Nec minus aperte est imitatus locum, quo Italiae situs commemoratur:

Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae
Oenotri coluere viri . . . . . [2])
. . . . . aurea condet
Saecula qui rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam [3]).

Primi Italiae incolae iuxta Ennium fuere Latini, iuxta Vergilium fuisse videntur Oenotrii. T. Livius narrat tum Latii habitatores Latinos vocatos fuisse cum Troiani et Aborigenes, societate inita, in Rutulos bellum susceperunt, cui opinioni etiam Cato subscribit (Serv. ad Aen. I. 6. Cato in originibus hoc dicit, cuius auctoritatem Sallustius sequitur in bello Catilinae: Primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines. hos postea adventu Aeneae Phrygibus iunctos Latinos uno nomine nuncupatos) Vergilium vero ennianae opinioni adhaerere patet ex XII lib. Aeneidos, in quo Iuno Iovem precatur, ne vetus indigenae nomen latinum mutent, eique oranti se quod velit daturum Iuppiter promittit (v. 824-832-835).

Neque dicas, quae hisce versibus continentur, cum iis, quae in libro I dicta sunt, repugnare. Oenotrii enim, qui duce Oenotro ab Arcadia venerant, in ea regione, quae inter Paestum et Tarentum est, habitarunt.

Quod ad genus Aeneae Ennius habet:

Assaraco natus Capis optimus isque pium ex se
Anchisem generat [4]).

1) Conf. Lucr. I 53, 158 et Empedoclem. (v. 387 ed. Mullach ὄλβιος ὃς θείων πατρίδων ἐκτήσατο πλοῦτον. — Verg. Georg. IV. v. 219, 227. Aen. VI 724, 751 Egl. VI. v. 31, 40. — 2) Aen. I. 530-532. — 3) Aen. VI. 792. 794. — 4) Vahl. 1.² fr. 29.

et Vergilius:

Assaraci proles demissaeque ab Iove gentis
Nomina Trosque parens et Troiae Cynthius auctor [1])
. . . . veniet lustris labentibus aetas
Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet [2]).

In quam rem haec animadvertenda censeo.

Ennius Capyn Anchisis parentem dicit, in quo Homero adhaeret, qui habet: *Ἀσσάρακος δὲ Κάπυν, ὁ δ᾽ ἄρ᾽ Ἀγχίσην τέκε παῖδα* (Il. XX-239). Coelius quoque Antipater troiano genere ortum esse Capyn asserit (Coeliusque troianum Capyn condidisse Capuam tradidit, eumque Aeneae fuisse sobrinum Serv. Aen. X. 145): Vergilius eum inter reges Albae numerat, in quo T. Livio consentit, quum contra dissentiat ab eo circa Silvium. Silvius enim iuxta T. Livium fuit filius Ascanii: contra, Cato dicit eum Aeneae Laviniam peperisse (. . . cuius Lavinia timens insidias gravida confugit ad silvas et latuit in casa pastoris Tyri, et illic enixa est Silvium. Serv. ad Aen. VI. 760): pariter et Donysius et Vergilius: hic vero Silvius a fratre Ascanio Creusae filio regnum inde accipit: Iulus rebus sacris praeficitur.

Quod ad Aeneae progeniem Ennius dicit Iliam fuisse filiam Aeneae; quod si est, Aeneas est avus Romuli: et Vergilius:

...quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus, Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet [3]).

Etiam apud Vergilium Anchises auguratur. Aeneae enim,

---

1) Georg. III. 35. 36. — 2) Aen. I. 283, 285. — 3) Aen. VI. 777, 778.

cum ad inferos descendisset et in vallem reductam pervenisset, obvius fit pater

qui prolem cupit memorare suorum
Quo magis Italia mecum laetere reperta [1]).

et ordine pandit singula et dictis expedit illustres animas et filium fata docet. Addit et de viris illustribus, qui Romae futuri essent honori:

incenditque animum famae venientis amore [2]).

Pariter Ennium secutus est Vergilius cum Aeneam inducit Evandro regi de origine generis narrantem [3]). Hic cum Atlantem inter gentis auctores designet, atque hoc praeterea sermone enniano utatur:

. . . . *accipe daque fidem* [4])

non sine multa probabilitate et fragmentum XXVII

Qui coelum versat stellis fulgentibus aptum

de Atlante intelligas, quem in proavorum numero Aeneas laudaverit, et fragmentum XXVII

Accipe daque fidem foedusque feri bene firmum

eidem Aeneae amicitiam societatemque cum rege Albano iungenti attribuas.

Apud Ennium Iliae in somniis adstat pater, eique aerumnas praedicit ferendas

. . . *o gnata tibi sunt ante ferendae*
Aerumnae, post ex fluvio fortuna resistit [5]).

et apud Vergilium effigies sacrae deorum et Phrygii penates adsunt Aeneae dormienti eique futura aperiunt [6]).

---

1) Aen. VI. v. 718. — 2) Aen. VI. 716-892. — 3) Aen. VIII. v. 125-151. — 4) Vahl fr. I. 30. — 5) Vahl. I.° fr. 34. — 6) Aen. III.° 147-171.

Nunc reliqua attingam, quae licet ad Aeneam non pertineant, tamen noster ab Ennio hausit vel imitatus est. Sub puerorum ortum, a quibus Urbs condenda erat, fingit Ennius deos ad coenacula maxima Iovis convenire ibique consilium agere:

coenacula maxima coeli
bipatentibus
Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo: [1])

et sic quum quae in Italia agebantur, iam iam finem suum habitura essent, hominum rex deos ad concilium vocat, eosque hortatur, ut inter tot virorum funera se abstineant odiis et placidum componant foedus, exspectantes iustum pugnae tempus:

Panditur interea domus omnipotentis Olympi
Conciliumque vocat deorum Pater atque hominum rex
Sideream in sedem . . .
Considunt tectis bipatentibus [2])

Fragmentum XLIX *lupus femina feta repente* ad ortum Romuli refertur, et totus ennianus est Vergilii locus, ubi eadem res enarratur:

Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam, geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros et lambere matrem
Impavidos, illam tereti cervice reflexa
Mulcere alternos et corpora fingere lingua [3])

Denique in fine libri primi a fragmentis

Confrictique oleo lentati et ad arma parati
Bellicrepa [4])

---

1) Vahl. I fr. 43, 44, 45. — 2) Aen. X — 3) Aen. VIII, v. 630-634. — 4) Vahl. I.[1] 62, 63.

quibus ludi describuntur a Romulo instituti, quum post Caeninensium pugnam templum Iovi feretrio aedificatum est, non improbabile est exemplum sumpsisse Vergilium ad describendos ludos, quos fecit Aeneas cum in Italiam pervenit [1].

Sed et alia loca in libro primo sunt, a Vergilio imitata,

Teque pater Tiberine tuo cum flumine sancto [2].
Tuque o Tybri tuo genitor cum flumine sancto [3].
Respondit Iuno Saturnia sancta deorum [4].
. . . . . *sequimur te sancte deorum* [5]
Nec pol homo quisquam faciet impune animatus
Hoc nisi tu, nam mi calido das sanguine poenas [6].
Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves [7])
Cum superum lumen nox intempesta teneret [8])
Et lumen in nimbo nox intempesta tenebat [9]).

Nunc quae ad reliquos Annalium libros et ad alia Ennii opera referuntur, paucis persolvam.

Ex Servii sententia, [10]) Vergilius Ennium sequutus est Albae excidium enarrantem, ubi depingit interiorem domum gemitibus resonantem et feminas per cavas aedes ululantes: [11]) et pugnam describentem:

Postquam defessi sunt stare et spargere sese
Hastis: ansatis concurrunt undique telis [12])

eosque versus ad agricolas refert auxilio in pugna currentes:

. . . . *raptis concurrunt undique telis*
Indomiti agricolae [13]) . . . .

et ubi mortui regis funera memorat:

---

1) Aen. V. — 2) Vah. I.° fr. 38. — 3) Verg. Aen. VIII. v. 72. — 4) Vahl. I.° fr. 46. — 5) Aen. IV. 576. — 6) Vahl. I.° fr. 58. — 7) Aen. IX. 422. — 8) Vahl. I.° 64. — 9) Aen. III.° 587. — 10) Annal. lib. 2. — 11) II. 486. 490. — 12) Vahl. III.° fr. 7. — 13) Aen. VII. 520. 521.

Tarcuini corpus bona femina lavit et unxit [1])
. . . . *corpusque lavant frigentis et unguunt* [2]).

Ex quarto sumpsit versum, qui ad expugnationem Auxuris pertinet:

Romani scalis summa nituntur opum vi [3])
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi [4])

Ennius, quum Lirim iuxta Merulam describit, et urbem quam percurrit, habet:

Quod per amoenam urbem leni fluit agmine flumen [5])

et Vergilius de Tyberi:

Inter opima virum leni fluit agmine Tybris [6]).

Ennium imitatur noster manus libro sexto Annalium apponentem

Quis satis ingentis oras evolvere belli [7])

quum funera coepit describere a Turno parta:

Et mecum ingentes oras evolvite belli [8]).

Ennianus item est Vergilii versus

Pulverulentus eques furit: omnes arma requirunt [9]).

Ennio Tarentinum bellum enarranti et iusta describenti, quae Pyrrhus interemptis absolvit, adhaesit Vergilius, cum de Miseni et Pallantis funeribus agit:

Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt,
Percellunt magnas quercus, exciditur ilex,
Fraxinus frangitur atque abies costernitur alta.
Pinus proceras pervortunt: omne sonabat

---

1) Vahl. III.² 8. fr. — 2) Aen. VI. 219. — 3) Vahl. IV. fr. 5. — 4) Aen. XII. 552. — 5) Vahl. V. fr. 7. — 6) Aen. II.³ 782. — 7) Vahl. VI. fr. 1.² — 8) Aen. IX. 529. — 9) Aen. VII. 625 — Vahl. VI. fr. 10.

Arbustum fremitu silvai frondosai [1]).

Et Vergilius:

Itur in antiquam silvam stabula alta ferarum
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex
Fraxineaeque trabes, cuneis et fissile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos [2])
. . . . ferro sonat alta bipennis
Fraxinus, evertunt actas ad sidera pinus,
Robora, nec cuneis et olentem scindere cedrum
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos [3]).

Sed sunt et alia loca, in quibus imitationem aperte reperias. Ennius habet:

Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis
Non cauponantes bellum sed belligerantes
Ferro non auro vitam cernamus utrique.
Vos ne velit an me regnare era quidvè ferat Fors
Virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum.
Quorum virtutei belli fortuna pepercit,
Eorumdem libertati me parcere certum est.
Dono ducite doque volentibus cum magnis dis [4]).

Et Vergilius

Argenti atque auri memoras quae multa talenta
Gnatis parce tuis [5]) . . . . .
Parcite jam, Rutuli, et vos tela inhibete Latini:
Quaecumque est fortuna, mea est: me verius unum
Pro vobis foedus luere et decernere ferro [6]).

Fortibus est fortuna viris data . . . [7])
Non semper vostra evortet, nuc Iuppiter hac stat [8])
Audentes fortuna juvat . . . [9])
Ne qua meis dictis esto mora: Iuppiter hac stat [10]).

---

1) Enn. Vahl. VI. fr. 11. — 2) Verg. Aen. 6, 179, 182. — 3) XI. 135. 138. — 4) Vahl. lib. VI. fr. 13. — 5) Verg. Aen. X 531, 532. — 6. Aen. XII. 709. — 7) Vahl. lib. VII. fr. 16. — 8) Vahl. lib. VII fr. 17. — 9) Verg. Aen X. 284. — 10) Aen. XII. 565.

In libro octavo Ennius:

. . . . . postquam Discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit [1])

et Vergilius:

Belli ferratos rumpit Saturnia postes [2])
Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber [3])
. . . ac ferreus ingruit imber [4])
Consequitur, summo sonitu quatit ungula terram [5]).
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum [6])
Nunc hostis vino domiti somnoque sepulti [7])
. . . Rutuli somno vinoque sepulti [8])
. . . . . multa dies in bello conficit unus:
Et rursus multae fortunae Forte recumbunt:
Haudquaquam quemquam semper Fortuna secuta est [9])
Multa dies variusque labor mutabilis aevi
Rettulit in melius, multas alterna revisens
Lusit et in solido rursus Fortuna locavit [10]).

qui vergilianus locus refertur etiam ad duo fragmenta libri noni:

(Fortuna) varia validis cum viribus luctant
. . . . mortalem summum fortuna repente
Reddidit, e summo regno ut famulus infimus esset,

in quo libro hunc quoque versum reperimus

Unus homo nobis cunctando restituit rem [11]),

quem Vergilius fere ad verbum transcripsit:

Unus qui nobis cunctando restituit rem [12])

---

1) Vahl. VIII. fr. 2 — 2) Aen. VII. 622. — 3) Vahl. VIII. fr. 12. — 4) Verg. Aen. XII. 284. — 5) Vahl. III. 7. — 6) Verg. Aen. VIII. 596. — 7) Enn. Vahl. VIII. fr. 17. — 8) Verg. Aen. 9. 265. — 9) Vahl. VIII. fr. 23. — 10) Verg. Aen. XI. 425. — 11) Vahl. IX. fr. 1. 9. 8. — 12) Aen. VI. 847.

Ex libro XI.

Quae neque Dardaniis campis potuere perire
Nec cum capta capi nec cum combusta cremari [1]
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troia viros? [2]

Ex libro XIV.

Labitur uncta carina: volat super impetus undas [3]
Labitur uncta vadis abies [4].

Item ex Macrobio de Pandaro et Bitia aperientibus portas locus acceptus est ex libro quinto decimo Ennii; qui inducit Istros duos in obsidione eripuisse portam et stragem de obsidente hoste fecisse.

Ex libro XVI.

Concidit et sonitum simul insuper arma dederunt [5]
Corruit in vulnus: sonitum super arma dedere [6]
Tum timido manat ex omni corpore sudor [7]
Tum gelidus toto manabat corpore sudor [8].

Ex libro decimo septimo ventorum pugnam:

Concurrunt veluti venti cum spiritus austri
Imbricitor aquiloque suo cum flamine contra
Indu mari magno fluctus extollere certant [9]

Vergilius imitatur:

Diversi magno ceu quondam cum turbine venti
Confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus eois
Eurus equis . . . . [10]

---

1) Enn. Vahl. XI. fr. 3. — 2) Verg. Aen. VII. 295. — 3) Vahl. fr. 2. — 4) Verg. Aen. VIII. 91. — 5) Vahl. fr. 4. — 6) Verg. Aen. X. 488. — 7) Enn. Vahl. fr. 6. — 8) Verg. Aen. III. 175. — 9) Vahl. fr. 5. — 10) Verg. Aen. II. 416.

Tandem suum fecit ex libro XVIII. locum, quem ex Homero Aiacis pugnam describente [1]) ad pugnam Celi tribuni depingendam Ennius hausit:

Undique conveniunt velut imber tela Tribuno
Configunt parmam, tinnit hastilibus umbo
Aerato sonitu galeae: sed nec pote quisquam
Undique nitendo corpus discerpere ferro.
Semper abundantes hastas frangitque quatitque.
Totum sudor habet corpus multumque laborat
Nec respirandi fit copia: praepete ferro
Istri tela manu jacientes sollicitabant [2]).

eoque utitur cum Turnum hostes circumdant [3]).

Ex Annalium fragmentis porro, quae Vahlenus dicit sedis incertae, haec Vergilius hausit:

Iuppiter hic risit tempestatesque serenae
Riserunt omnes risu Jovis omnipotentis [4])
Olli subridens hominum sator atque deorum
vultu quo coelum tempestatesque serenat [5]).
Oscilat in campis caput a cervice revulsum
Semianimesque micant oculi lucemque requirunt [6]).
Semianimesque micant digiti ferrumque retractant [7]),

pariter et equi fugientis descriptionem, quam Ennius ex Homero mutuatus est: [8])

Et tum sicut equus qui de praesepibus fartus
Vincla suis magis animis abrupit et inde
Fert sese campi per coerula laetaque prata
Celso pectore, saepe jubam quassat simul altam.
Spiritus ex anima calida spumas agit albas [9]).

1) Hom. Il. II. v. 102. — 2) Enn. Vahl. fr. 2. — 3) Verg. Aen. IX. 806. 814. — 4) Vahl. fr. 3.? — 5) Verg. Aen. X. 254. 255. — 6) Vahl. fr. 15. — 7) Verg. Aen. X. 396. — 8) Hom. Il. Z. 506. 511. — 9) Vahl. fr. 51.

Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
Tandem liber ecus campoque politus aperto
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum
Aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubae per colla, per armos [1]).

Nec minus enniana est, ex Servii sententia, ambitiosi descriptio, quam in Aeneidos libro XI. reperimus [2]).

Non solum autem ex Annalium libris sed etiam ex Tragoediis et ex Satyris ennianis quaedam hausit Vergilius. Revera in Tragoedia «Alexander» ubi Ennius Hectorem depingit Cassandrae apparentem, haec habentur:

o Lux Troiae, germane Hector!
. . . . quid te ita contuo lacerato corpore
Miser, aut qui te sic tractavere nobis respectantibus? [3])

et in libro secundo Aeneidis:

O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum
. . . . quae causa indigna serenos
Foedarit vultus? aut cur haec vulnera cerno? [4])

In eadem fabula:

Nam maximo saltu superabit gravidus armatis equus
Suo qui partu (prodigioso) perdet Pergama ardua [5]):

ipsis fere verbis Cassandra equum futurum exitio Troiae, praedicit:

Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama et armatum peditem gravis attulit alvo [6]).

Praeterea Ennius habet:

Multi alii adventant paupertas quorum obscurat nomina [7]).

---

1) Verg. Aen. XI. 492, 497. — 2) Aen. XI. v. 608. — 3) Vahl. Trag. Alex. fr. 10. — 4) V. 281, 285. — 5) Enn. Vahl. Trag. Alex fr. 11. — 6) Verg. Aen. VI. 515, 516 — 7) Vahl. Trag. Alex. fr. 5.

Et Vergilius:

Multi praeterea, quos fama obscura recondit [1].

Ex Tragoedia «Cresphontes»

Neque terram injicere neque cruenta convestire corpora
Mihi licuit, nec miserae lavere lacrimae
salsum sanguinem [2])

in libro IX Aeneidis:

. . . . nec te, tua funera mater
Produxi pressive oculos aut tua vulnera lavi
Veste tegens [3]).

Enniani quoque loci sunt:

O patria o divom domus Ilium et inclita bello
Moenia Dardanidum . . . . [4])
Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas
Infit, eo dicente deum domus alta silescit;
Et tremefacta solo tellus, silet arduus aether.
Tum venti posuere, premit placida aequora pontus [5]).

quorum primum ex Andromacha Aechmalotis, hausit:

o pater o patria o Priami domus
saeptum altissimo cardine templum [6]):

alterum ex Satyra «Scipio»

Mundus coeli vastus constitit silentio,
Et Neptunus saevus modis asperis pausam dedit.
Sol equis iter repressit ungulis volantibus:
Consistere omnes perennes, arbores vento vacant [7]).

---

1) Aen. V. 362. — 2) Aen. fr. 8. — 3) Vahl. V. 486, 488. — 4) Aen. II.° v. 242, 242. — 5) Verg. Aen. lib. X. v. 100, 103. — 6) Enn. Vahl. fr. 9. — 7) Vahl. fr. 4.

Satis mihi multa verba fecisse videor de iis, que Ve
lius ex Naevio atque Ennio hausit; quae omnia paucis a
solvam.

Ex Naevio poeta noster totam de Didone narratione
mutuatus est, et pleraque eorum, quae ad Aeneam Troia f
gientem eiusque in Italiam adventum referuntur. Si inte
dum nonnulla reperiuntur, in quibus poetae inter se conv
nire non videntur, ea parvi adeo ponderis sunt, ut haec, qua
dixi, minime infirment. Quae ex Ennio hausit Vergilius, sur
fortasse minoris momenti, quippe quae levius attingant re
quas ipse in suo poemate cecinit. Attamen fateri debemu
in plurimis hunc poetam Vergilium imitatum esse. Illo enin
sive cum res enarrat et describit, sive cum de doctrinis phi-
losophicis disputat, magistro utitur libenter. Ex iis, quae hau-
sta fuerunt, nonnulla attente consideravimus, nonnulla con-
tra attigisse et exscripsisse contenti fuimus; imitatio enim adeo
evidens est, ut quaelibet disputatio supervacanea fuisset.

---

rgi-
ab-

m
u-
r-
e-
.e
at
s,
s
n